



# **Disputatio medica inauguralis de lepra Graecorum unguibus monstrosis praedita**

<https://hdl.handle.net/1874/44682>

Q. F. F. Q. S.  
DISPUTATIO MEDICA  
INAUGURALIS

DE  
Lepra Græcorum unguibus  
monstrosis prædita,

Q U A M,  
FAVENTE DEO TER OPT. MAX.  
*Ex Auctoritate Magnifici D. Rectoris,*

D. LUCÆ VAN DE POLL,

J. U. D. & Codicis in Inclytâ Academiâ Rheno-  
Trajectinâ Professoris Ordinarii,

NEC NON

*Amplissimi Senatus Academici consensu, & Nobilissima  
Facultatis MEDICÆ Decreto,*

PRO GRADU DOCTORATUS,

Summisque in MEDICINA Honoribus & Privilegiis  
rite ac legitime consequendis,

*Publico examini submittit*

JOANNES SCHMIDIUS, LITHOPOLITAN. Helvet.

*Ad diem 18. DECEMB. horâ locoque solitis.*



TRAJECTI ad RHENUM,

Ex Officinâ FRANCISCI HALMA, Academiæ  
Typographi, clō lōc xcvī.

V I R O  
*Plurimum Venerando, Consultissimoque,*

D. JOHANNI GEORGIO SCHMIDIO,  
Senatori, ac Quæstori Urbis Lithopolit. nec non Præfecto Ram-  
bsiens. Parenti suo dilectissimo, de se studiisque suis optime me-  
rito, omni filiali amore ad extremum vitæ halitum prosequendo.

U T E T

V I R I S

*Nobilissimis, Excellentissimis, Expertissimisque,*

D. JOHANNI CONRADO BRUNNERO,  
Med. Doctori, quondam in antiquissima Palatinatus Academia,  
quæ Heidelbergæ fuit, Botanices & Anatomix Professore Cele-  
berrimo, nunc verò diversorum S. R. I. Principum Consiliario  
& Archiatro, quin & Academiæ Leopoldinæ membro dignissi-  
mo, Cognato suo Charissimo.

D. JOHANNI FRIDERICO à CAPPELEN,  
Phil. & Med. Doct. ejusdemque Facultatis, in Perillustri Gy-  
mnasio Bremensi Professore Præceos & Botanices celeberrimo.

D. JOHANNI TILINGIO, Phil. & Med. Doctori,  
Anatomix, institut. ut & Phycices in eodem Gymnasio Bre-  
mensi Professore ordinario.

Domino Parenti, Dominis Doctores, Patronis ac Fautoribus  
suis, omni observantiæ cultu multis nominibus æternam suspi-  
ciendis, honorandis,

*Theses hæc inaugurales in grata mentis, de-  
bita observantia recipiatur suique ulteriorem  
commendationem, dicere & offerre ut voluit,  
ita debuit.*

JOHANNES SCHMIDIUS

*Author & Defendens.*

## P R O O E M I U M.



Nullus mortalium unquam vixit, nec jam quis super-  
est, qui non candido ac sincero pectore confiteri ne-  
cesse habeat in summam miseros nos protoplastorum  
lapsu calamitatem redactos esse, id quod nemini non  
ad vita nostra normam examinanti luce meridiana clarius pate-  
bit. Ante commissum peccatum in felicissimo versabamur statu,  
nulla ira tenues irritans auras, nullus pectora consternens terror,  
aut praecordia lacerans timor, nulla maestitia, nullus excrucians  
dolor, Spiritus nihil nisi bona appetentes, nulloque inordinato tur-  
bati motu: ut taceam Corporis pulchritudinem, nitorem ac sani-  
tatem; membra non Corpus accusabant, nec mali ulla Cupido,

Nullus erat dolor mentis, non semina morbi,  
Pallida non facies, pestis, non venter aquarum  
Turgidus, aut querulo squallebant corpora morbo,  
Ubera vaccarum trepitabant pecora metu,  
Vipera non laedens, non fallax herba veneni,  
Molli perpetuo flavebat campus arista,  
Et duræ quercus sudabant roscido melle,  
Plus quam Saturnina regna.

Sed Eheu! Quantum brevi à beatissima hac conditione mutati,  
infernalis serpentis astutia ac fraude diabolica decepti, mandatum  
divinum violantes, à Deo, summo bono aversi, creaturam mayo-  
ri quam creatorem ipsum amore amplectebantur; quo factum, ut  
justitiam justissimi sentire & nos oportuerit. Subito namque cœ-  
lestium donorum, quorum antea participes eramus, jactura facta,  
Cuncta in pejus versa fuere. Mens nostra lucidis antea verita-  
tis radiis illuminata, nunc in superis ac inferis dignoscendis, den-  
sissima ignorantia caligine occacata est, imo corruptam & ad  
quævis mala pronam assumere debuimus naturam; qua de causa  
non solum mentis pulchritudinem perdidimus, verum corpori no-  
stro infelicissimum conciliavimus statum; innumeris calamitati-  
bus, morbis, quid dicam! Morti ipsi quotus quisque obnoxius,

quam nostrum quivis subeat, necesse est. Quot morborum mil-  
lia, quot symptomatum, tanquam totidem ferarum phalanges, in  
totalem microcosmi ruinam conspirantes non profert atra dies, & raro  
sine ullo morbo doloreve primus transigitur dies, quin ortus & occasus  
una hora simul incidant. Imò vix è carcera materno liberati è  
prima luminis fruimur aura, quin ipsa horà mœsti vitam cum  
morte commutemus. Cæterum tot centena, tantaque hæc inter  
mala sat periculosa sequens affectus est, utpote qui non solum cor-  
poris pulchritudinem depravat, ansamque præbet quod actiones ac  
functiones non ritè peragantur; sed & nisi in principio curetur,  
sensim sensimque majores agens radices, curationem haud facile  
admittat, non infimum possidet locum. Affectum huncce obser-  
vavi in puella quadam inope, quæ ingressa nosocomium Bremense  
curam Viri Celeberrimi D. Doctoris à Cappelen illustris gymnasii  
ejusdem loci Professoris Prax. ac Botanic. meritisimi petiit,  
quem resolvendum pro speciminis inauguralis themate selegi quem-  
que lepra nomine inscribendum haud ineptè judicavi. Itaque  
prius ad hujus affectus historiam apponendam, postea vocabuli  
lepra Græc. Analysin enarrandam, omniaque symptomata enu-  
cleanda, denique omnium per medicamenta convenientia subla-  
tionem tradendam properabo. Quod ut ex voto succedat faxit  
divina clementia.



*P. Verhoeff. fecit.*

DISPUTATIONIS MEDICÆ

ET QUIDEM

INAUGURALIS

DE

Lepra Græcorum unguibus  
monstrosis prædita,

HISTORIA.



uella 24. annor. temperamen-  
ti pituitoso-melancholici, ob  
paupertatem cibis crudis cras-  
sisque longo tempore usa,  
mensium obstructions passa,  
ante 2. circiter annos scabie  
fæda, malignaque laborare cœpit,  
ungues di-  
gitorum in manibus instar un-  
gularum incurva-  
ti, ad digiti ferè longitudinem ex-  
creverunt, ex-  
ceptis mediis digitis, in quibus  
parva cernitur  
mutatio. Aliquando uti retulit,  
spontè deci-  
dunt, deque novo iterum ex-  
crescere incipiunt,  
præterea hinc inde in facie,  
præsertim in super-  
ciliis, nec non in utroque pede,  
manuque  
fæda scabies cutem squammosam  
reddens erum-  
pit. Cætera ferè naturaliter se  
habent.

## RESOLUTIO.

1. §. Gravissimum affectum, qui ægram nostram exagitat, tametsi complicatus ex variis sit, ob primatam habens symptoma, tanquam à potiori, à quo procedi solet cujuscunque rei denominatio, lepram Græc. cujus in præfatione nonnulla facta fuit mentio, nuncupo *ἰσθὸ τῶν λεπίδων* à squamis ortum ducentem, alii lichenem & vitiliginem Germ. das Zittermahl item *geschäct* / nonnulli Elephantiasin Arabum, Arabes denique albarum nigram, id est impetiginem excoriativam describunt.

§. 2. Lepra Græcorum itaque, ut pauculis verbis affectus hujus definitionem more disputantium tradam, morbus est cutem corporis summa scabie afficiens, proficiscens à prædominio tum Olinarum cum Sôlarum particularum in superficie ejus nimia quantitate excretarum & à frigore ambiente indidem par squamis condensatarum.

§. 3. Descriptis describendis ordine nunc, exantlanda veniunt singula symptomata Ægræ nostræ obvenientia, quæ inter primò se sistunt mensium obstructiones, quas duobus circiter annis passa est, & quis dubitabit quin ipsi flores suppressi haud exiguam morbo tali suppeditaverint causam, quam non primariam, sed coadjuvantem? Testatur & Cl. Helvetius practicus Hagæ Comit. feliciss. se non solum in sexu femineo; verum & in masculino huncce observasse affectum seque felicissime tales infectos ab isto morbo liberasse. Dari in utroque sexu affirmabant præterea prænobilis sinceritatisque studiosissimus Dominus Vallan Medicinæ Doct. Med. Pract. & institutionum in Academ. hacce Trajectin. Professor Ordinarius, Promotor meus ad aras devenerandus, ut & prælaudatus Dominus Doct. van Cappelen.

§. 4. Juvenulæ haud rarò corripuntur obstructionibus, utpote quæ non observant observanda, Ex gr. dietam, quum tempore fluxus menstrui varia assumunt, ut sunt omnis gener.



generis fructus crudi, lac, caseus, cunctaque acida, præter hæc frigida multum contribuunt, cum primis dum pedes ac brachia in frigidam immergunt. In pluribus quoque supprimuntur menses ab aliis, è dictis rebus 6. non naturalibus, ut ab animi passione, mœrore, ac subita consternatione, unde tota M. S. ob perversum motum animalium cursum, qui ab ejusmodi pathematis oritur, in motu segnior existit, hinc ad commovendum ineptior, atque secusevadit, Exemplum sit nobis Hæmorrhagia narium, quæ dum cuidam infans frigida nuchæ affunditur aqua, l. patiens terrore afficitur, in ipso fere momento sisti solet, qua de causa sanguis solita per loca excerni nequit, qui dum præter ordinem naturæ solitum in corpore divertit, omnis generis symptomatum auctor existit, plura qui desiderat, vide sit dissert. Francisc. Bayle de natura Fluxus menstr. in 12. Hag. Comit. 1678.

§. 5. Causa immediata fluxus scil. sanguinis impediti est obstructio vasorum capillarium circa uterum; Inde ab eo tempore quo menses erant suppressi scabie foeda ac maligna Ægra nostra laboravit, quoniam sanguis isthic locorum stagnatus acorem contraxit, & hunc cum cæteris alluentibus humoribus communicavit, præsertim autem cum lymphâ quæ cum ita infecta, in glandulis miliaribus sive subcutaneis exesione causat atque exulcerationem, quam scabiem nuncupare solemus, quod autem inter alia, menses seu suppressi flores hujus vitii etiam sint accusandi, necum id testatur Cl. Waldschmidius, dicens, quod quibus menses suppressi aut in hydropem, aut febrem quartanam, phthisin, aut denique scabiem incidere soleant.

§. 6. Haud inficias eundem est dari & alias causas tum externas tum internas, affectum hunc scabiem puta, producentes, quam veritatem utique atas tum puerilis tum juvenilis indies testatur, nullam enim observantes dietam, imprudentesque in victus ratione omnia æquè cruda ac tenuia, concoctu facilia & difficilia ingurgitant, quæ singula usque adeo diversa ab invicem, impossibile est ut ritè in ventriculo concoquantur, hinc non mirum, si totidem ac diversis cruciantur affectibus; simplex enim cum esset cibus, simplex & teste

Senec.

Seneca in epistol, foret valetudo, vel juxta medicorum axioma. Qualis cibus, talis chylus, qualis chylus, talis sanguis, qualis sanguis, tales cutis, talis tympha, talia fermenta, talisque fanitas.

§. 7. Otium porro, multorum malorum mater, scabiei haud exiguam attribuit opem, sic particulæ heterogeneæ in corpore latitantes, in otioso corpore non prout deceret, exagitantur, necesse est itaque eas retineri aut in corpore aut in cute & carne, quæ cum per quicquam temporis in Corpore abscondite latuerint, putrescunt, acrimoniam acquirunt & deinceps ulcera scabiemque ut paulo ante dictum progignunt, quod mecum non solum Ægrotæ nostræ; sed etiam omnes propemodum vitæ sedentariæ indulgentes sartores & alii affirmabunt, hinc Dominus Doct. à Cappelen summe est laudandus, qui omnibus in Nosocomio laborantibus dissuadet otium, & aut ad corporis motionem aut ad labores suos quemque stimulat.

§. 8. Non modo otium; sed & omnes exercitationes intempestivæ interdiciendæ sunt, juxta tritum hocce omne nimium vertitur in vitium; intempestivæ dico, id est quæ fiunt vel impuro corpore, vel statim à cibus: spiritus enim cum aliorum delati, necesse est in ventriculo ut diminuantur, quibus diminutis concoctio debilior evadit, unde humores illi maligni ad corpus delati scabiem quam facile procreare possunt, hujus sententiæ erat & Galenus 3. Aphorism. 20. dicens, humores pravi, qui intra corporis latebras continentur extra ad superficiem trahuntur, & quia demum delabi non possunt, ibi retenti computrescunt, & scabiem causant; & ipse divus Hippocr. 6. Epid. Com. 5. tex. 34. non immerito ait, quod corpus impurum dum exerceatur ulcera inde provenire soleant ex quibus hinc scabies natales ducit suos. Sic & de motione à pastu non invenuste scripsit Schol. salernitan.

*Post cœnam stabis.*

*Aut passus mille meabis.*

§. 9. Incuria etiam seu negligentia ad scabiem sane multum contribuere solet, id experiuntur illi, qui neque mutant indusia, ut videre est in militibus nonnullis, aliisque quam plurimis, neque post cibos assumptos lavant manus, nec pinguia, nec alias sordes abluunt; sordes enim retentæ in superficie manuum in acrimoniam abeuntes scabiem causant, id quod Q. serenus Medicus antiquissimus & gravissimus in libr. med. suæ optimè explicuit, dicens,

*Illotus sudor, & inopia nobilis esca  
sæpe gravi scabie correptos asperat artus.*

Præterea & jamjam memorata schola Salernit. De utilitate lotionis manuum pauca quidem, sed egregia scripsit verba in huncce versutu redacta, ---

*Lotio post mensam tibi confert munera bina,  
Mundificat palmas. & lumina reddit acuta  
Si fore vis sanus, ablue sæpe manus.*

§. 10. Anni tempora secundum Avicennam, scabiem causare possunt; inquit enim autumno fieri aridam; Hyemè verò scabiem humidam, quòdque & magnus Hippocr. sectio. III. Aphorism. 19. confirmat. morbos omnes quidem in omnibus temporibus fieri, nonnullos verò in quibusdam ipforum magis tum fieri tum exacerbari, ait, & sequenti Aphorism. addit Vere maxime dari insaniam, & melancholiam & sanguinis fluxiones & anginam, & gravedines & raucedines & tusses & Lepram, & impetiginem & vitiliginem & pustulas ulcerosas plurimas.

§. 11. Tandem Regiones ad scabiem proclives silentio non prætereundæ sunt, utpote quæ frigidiores, Ælinis vasis & paludosis abundant, Seneca ait libr. 3. Natur. quæst. Cap. 25. quasdam aquas scabiem afferre corporibus l. vitiliginem quod vitium ab aqua ex rore collecta (quæ v. a. dicente Plutarcho facit Lepram) deducit. Hinc evidenter elucet, quare in Regionibus quibusdam Belgicis,

imprimis in Geldria per plures inveniuntur leprosi. Sic etiam maris adriatici accolæ oppidò scabiosis vexantur affectibus, ita ut in quibusdam Ponti confiniis morbus hicce planè Endemius sit, qui originem, ut suspicor, trahit, à copiosis Ælinis ab æquore proveniuntibus atmosphæræ autem innatantibus, hinc inspirando in corpus traductis particulis.

§. 12. Quod ungues digitorum in manibus instar unguularum incurvati ad digiti ferè longitudinem excreverint exceptis mediis digitis, Nullam aliam esse causam persuasum mihi habeo, quam quod istæ heterogenæ in corpora latitantes nutritionique unguularum destinatae particulae per digitos ad ungues patentiores invenerint ductus ac vias, quæ eò delatae unguium substantiam adaugent, unde sensim sensimque & crassiores & longiores evadunt. Admiratione interim dignum est, quare in nostra puella non in longitudinem secundum digitorum extremitatem, sed potius superne in altitudinem ungues excreverint. Vt uti, perspicue cernendum est in hisce duabus Tabulis dissertationi annexis. Sed nullam ob aliam causam fieri posse existimavi, quam quod dum viæ unguium nutritionis materiae dicatae, circa radices unguium obstructæ, solutioque continui in eadem parte à succo nutritio vascula intumescendo facta est, quo circa paulatim is, cum in motu suo rectilineo impediatur, deflectit, eundem autem naturæ cursum servando exsudat, à frigoreque ambiente condensatur, exhalantibus quoque quibusdam copiosis particulis, quasobres Cæteræ, ut Vreæ, Ælinæ, & Sæ compactius se inter uniuntur, ac duram compagem nanciscuntur, à tergo autem subsequentes etiam nunc liquidæ, induratas leviter protrudunt, seque his adjungunt, agglutinant, quoad tandem id monstruosi unguium inde progenitum fuerit.

§. 13. Quod verò singulis annis sponte deciderint, deque novo iterum exerescere cœperint, provenit. 1. Quia tempore autumnali & hyemali pori meatusque cutis arctè clauduntur, quare nutrimentum sufficiens istius modi denegatur, &

2. Dum ungues magnam crassitiem nacti induratique prope radices, qua de causa succus ille eorundem in nutritionem ad-

adveſtus ſenſim ac pededentim protrudit eos, fibrillas, quibus perpenderant, vel digitis adhæſerant, diſrumpit quoque unde nullum aſſumunt amplius nutrimentum, hinc decidant, necesse eſt, pariter ac eandem ob rationem & cervis cornua ſua quotannis decidere ſolent, quod forſitan ab inopia alimenti provenire poteſt, interim tamen à multis etiam celeberrimis Practicis audivi ſe quidem tales ſed non ſponte decidentis ac denuo excreſcentes ungues vidiffe, cujus rei exemplum in doctiſſimo auctore Oligæro Jacobæo muſeum Regium Hafnienſe deſcribente videndum eſt, pag. 2. in part. 1. de rebus natural. & quidem ſect 1. de Homine & 4 drupedibus. Cujus hæc ce ſunt verba. Ungues monſtroſi digitorum, quos diu geſtavit juvenis quidam Hafnienſis ſtipem oſtiatim colligens, maximus illorum 3ivſ. longitudinem æquat, digiti omnes duobus exceptis unguis his monſtroſis armati erant, quæ recife manu Chyrurgica iterum creſcebant.

§. 14. Interroget quis ungues ne nutiantur à particulis homogeneis an ab heterogeneis? Æmilius, Pariſanus, Plempius cæterique tradunt, ungues ex humoribus alimentariis oriri, Bartholinus autem ſtatuit excrementa craſſiora eſſe non vero talia quæ ex corde aſcendant, uti voluit Roſa Anglica (qualem ſententiam habent & plerumque chyromantes, ) aut ab arteriis, ſed quæ ex oſſibus, cartilaginibus, proveniant, id quod & Coum, magnum Hippocr. ac medicorum Principem aſſeruiſſe teſtatur. Retulit mihi quidam fide dignus, ſe noſſe uxorem, quæ ab infantia ad 14. annum uſque omnibus inſtructa fuit digitis, ab iſto autem temporis ſpatio decidiffe ei ſingulos, nec ad huncce uſque diem in mediis digitis ullos iterum excreviſſe, fortean, dum menſum fluxus ſingulis aderat menſibus, nutrimentum ad ungues ante hac pertinens una cum menſibus fuit excretum. Hocce quidem exemplum Bartholini ſententiam firmiorem redderet, ſcilicet eſſe heterogeneas particulas, niſi ſexu ſcæmineo poſt menſum fluxum unguibus æque ac maſculinus eſſet donatus, & quemadmodum una hirundo nullum facit ver, ita etiam haud ſufficienter probat iſtud exemplum unguium particulas eſſe excrementitias, ego

quam lubenter omnibus meas possum dare aures, summoque jure & affirmando, & negando utramque assumere sententiam, unguis enim quamdiu spectant ad corpus, sunt partes corporis & per consequens alimento opus habentes, si verò extra corpus, extra scilicet digitos nascuntur, tunc sunt excrementitiæ particulæ nullum corpori humano usum præbentes.

§. 15. Unum Ægrotæ nostræ unguem in laboratorio chemico Trajectino per ignem examinans inveni, illum possidere particulas ḡsas, ∇sas, Ḥlino volatiles nec non ∇restres, quas inter ḡsæ prædominum obtinere, nutriuntur ergo potissimum à particulis ḡsis, quod & affirmare videtur antea memoratus Helvetius, qui mihi præsentem narrabat se Hagæ Comitum ante aliquot annos matronam hocce affectu correptam felicissimè curasse, postea hanc nupsisse viro duosque tresve peperisse liberos, gravida autem quarto anno cum vicissim esset, desiderasse carnem suillam ad comedendum, & desiderii, voticque compotem factam paulo post de novo in pristinum incidisse morbum, ab usurpatis vero & abs se præscriptis remediis ad sanitatem restitutam fuisse. Probabile itaque mihi videtur maxima ex parte ab ḡsis Ḥlinisque particulis illos nutriri.

§. 16. Pauca ad hæc de scabie in superciliis, præsertim manibus ac pedibus erumpente addenda esse arbitror. Nulli incivium est, faciem & manus libero aeri esse expositas, qua de causa humores peccantes, viscosi scilicet crassique, cutem dum perspirare nesciunt, intra poros cutis clausi acriores redduntur, inque ichorem abeunt, qui prout acorem vel majorem vel minorem adeptus cutem exest, & indidem pustulas varii generis procreat; nec pedes ab aere liberiori in nostra ægra ob defectum tibialium erant, ut oportere, muniti, ideo unam eandemque cum cæteris aeri expositis membris luebant pœnam: ad hæc humores isti modo memorati ad pedes fluentes, ob aliquantam gravitatem, qua cuncta corpora ex naturali propensione deorsum tendunt, tam cele-

rem

rem refluxum, quam afluxum habere non possunt, quod & cernere licet in hydropicis etc.

§. 17. Omnium itaque symptomatum hocce in affectu occurrentium causis sufficienter ut opinor datis, antequam ad differentias sum aggressurus, affectus hujus lepræ nimirum Græc. ad causam affigendam generalem me conferam, hæcce autem potissimum consistit in sanguine. Massa namque sanguinea dum & fluidis præsertim hinc & Ælinis abundat particulis, necesse est hujusmodi in cutem pellantur, ubi ob visciditatem attenuari nec amplius dissolvi possunt, exhalatis & aliisque particulis fluidis tandem incrassant, ac in superficie cutem inæqualem ceu squamosam, quoniam inordinario sibi implicite sunt, reddunt. Sunt quidem nonnulli dicentes non in sanguine; verum in glandulis subcutaneis morbum huncce latitare, quæ sententia suo quoque nititur talo, cui adstipulari & ego nondum veritus sum: opinor namque tali in casu glandulas solitis laxiores esse ac defacile & fluidis transitum indulgere, quæ dum ita in copia à sanguine omnis generis particulis foetente discernuntur, fieri aliter non potest, quia ob lentorem avolare nesciunt, quin & in epidermide cum & aliqualem rancorem & indurationem adsciverint ac ut dixi, perverse & inæqualiter ad invicem concreverint, lævorem ejusaufferant: utramvis nunc sententiam quisquis amplecti, tuerique mavult, mihi id perinde erit. Præter hæc sunt & aliqui morbi sese in lepram seu impetiginem transformantes, cujusmodi sunt scorbutus, lues græca &c. qui non bene l. prorsus non curati ejusmodi miasmata in corpore relinquunt, ex quibus talis affectus quam facile exoriri potest.

§. 18. Differt autem lepra Gr. à scabie, quæ est pustularum in toto corpore sparsum eruptio, ab humore acri vel Ælso intra poros cutis aggesto proveniens, gradu hæc 1. mitior, illa vero corporis gravior affectus est. 2. Cutis in illa squamosa est, & dum partes affectæ scalpuntur squamæ decidunt, quod non ita in scabie. 3. Scabies facillimè per contagium in aliud subjectum transit, infectio verò lepræ tam rara aut nulla est, ut miasma vel virus hocce à vi-

ro in uxorem, aut ab hac in illius sibi affiduè adjacent corpus prorsus non transeat; imò ne penetret quidem, quod inde accidit, quia in hoc affectu particulæ viscosæ ponderosæque ad perspirandam cutem nesciæ ad sint. Ab impetigine differt lepra Gr. paulò enim graviora secum hæc ducit symptomata, atque illa.

Tandem quædam est differentia inter lepr. Græc. & Elephantiasin Græc. hæc etenim summus, illa medioximus scabiei gradus est.

§. 19. Signis diagnosticis non opus est, huc ut Collectim apponantur, quoniam eorum hinc inde sufficienter meminimus. De prognosticis modò verba facturum sum. Hic morbus etsi imminens periculum haud moneat nequè tam subito patientem ad cymbam charontis ducat, nihilominus tamen cum altiores egerit radicationes, ejus cura aut nunquam aut difficulter admodum absolvitur. Simplex quidem affectus adhuc est, dum pustulas in membro uno alterove effundit; quandoque Therapejam, sed vix sine pharmacia efficaciori curationem admittit; Cum verò tractu temporis in toto appareant corpore pustulæ, firmiterque cuti inhæreant, tunc remedia parva nihil efficiunt, magna etiam si summo studio in usum accersita morbum non facilè tollunt, itaque si fieri potest, in hisce ut & omnibus reliquis affectibus valet id Nasonis.

*Principiis obsta, serò medicina paratur  
Cum mala per longas invaluere moras.*

§. 20. In cura ante omnia consideranda est causa remota ut amoveatur, mala victus ratio, aerque insaluber corrigatur, præscribenda itaque est bona diæta, sine qua vix quidquam præclari in curatione & morbi hujus præservatione effici potest, cibi sint *εύπειρωτοι καὶ ἔυχυμοι*, id est facilis concoctionis. Cuncta  $\Theta$ lsa, fumo indurata, pingua, pisces-marini, cerevisia justa crassior, fœculentior, vinaque acida, cane pejus & angue vitanda, Cl. Helvetius Willisii aliorumque sententia  
ni-



nixus aegrotantibus suis hoc morbo correptis cibos tantum Judæis in veteri testamento prohibitos ut ne comedant suadere solet. Cujus præcepti ratio hæc mihi in promptu est, immundis enim in sacratissimo codice appellatis animalibus pinguedo est tenuis, quæ ob glabritiem lubricitatemque partium exfacile venas lacteas & consequenter sanguinem ingreditur, materiam seu fomitem huic morbo ad sustentationem sui suggerit. Mundorum autem animantium caro vel axungia magis crassa, densa, adiposa, atque illa est, qua consistentia dubio procul gaudet, ob copiam sibi intermixtarum  $\nabla$ rearum particularum, hinc horum pinguedo, quantumvis eo affatim quis vesceretur, ob crassitiem maxima ex parte per alvum excernitur, vel si etiam quædam ejus portio ipsum pontum microcosmicum intraret, nullum sanè damnum inde metuendum est, quippe per exiguas cutis glandulas transsudare sive in hos suscipi nequit. Ad causam procatarcticam perspiciendam, 1. ne serpendo altas agat radices attendendum est: item ut viscerum aliorumque humorum impuritates cito expurgentur. 2. sanguis a particulis  $\ominus$ linis ut liberetur ut &  $\&$ sis fluidis. 3. glandulæ miliares ultra modum laxæ non nihil constringantur, ut non tanta istiusmodi particularum in periphæriam corporis fiat transmissio, sed ut cogantur aliunde sibi exitum quærere.

§. 21. Hunc in finem medicamenta tum evacuantia diversi generis tum alterantia possunt præscribi, diversi quidem generis dixi, non verò mitiora volo, quæ huic morbo haut quaquam satisfaciunt, duro namque nodo & durus quærendus est cuneus vel juxta Hippocrat. scil. 1. Aphorism. 6. ad extremos morbos extrema remedia sunt exquisitissima.

Itaque ante omnia purgans ut  $\mathcal{A}$ egrotantibus ordinetur, necessario est, impura inquit Hippocrates, corpora quo magis nutriveris eo magis lædes, vel secundum tritum hocce qui bene purgat bene sanat.

Placuit celeberrimo D. Doct. à Cappelen puellæ nostræ pro cathartico sequentem præscribere pulverem.

℞. *Diagrid. ꝑrat. ℥ss.*  
 ꝑr. *Dulc. ℥j.*

M. F. pulv. una vice assumendus.

Alias hæcce pilulæ in usum duci possunt,

℞. ꝑr. *dulc. ℥j.*  
*Extr. hellebor. n. ℥ss.*  
 & ℞. *menth. gtt. xv.*

M. F. cum ℞ Trifol. ∇tici pilul. No. LX. Dos. à gr. v. vi. vii. ad. viii.

Corpore expurgato ad V. S. postea se vertendum, quæ semel aut bis instituenda est.

Sanguis ut à particulis morbum huncce caussantibus liberetur adhibendum & serum lactis, aut simpl. aut cum fumarria, aut cichorio etc. singulis horis matutinis ad ℥ij. vel iij. continuandumque per 20. vel 30. dies.

Commendat insuper Willisius Acidulas ferratas, dicens se sæpius solis hisce impetiginem gravem peneque leprosam curasse. Quibus ad majorem efficaciam ℞l. prunell. adjungi suadet, aut ℞l. ꝑtis.

Pro pauperibus decoctum lignor. sit potus quotidianus, parvi quidem est pretii: at interdum magnarum virium.

Inter diaphoretica annumeranda sunt sequentia ℞n. scil. diaphoret. ꝑr. Orat. Ess. ℞nij. spirit. lign. tinct. corallior. cum ℞ lign. essent ℞ & ℞ fumarix. v. gr.

℞. ℞n. *Diaphoret. ℥ss.*  
 ℞l. *Fumar. ℥ss.*

M. S. Schweis pulverlein auf. i. mahl.

℞. *Essent. Fumar. ℥j.*  
*Lign. ℥ss.*

M. Advitr. S. schweis Essenz. auf 1. mahl.

Cui

Cui magis arridet mixtura, curet sibi seq. confici.

℞. ▽. Fumar. ℥j.  
 ℞. Diaphoret.  
 ℞. Flor. samb. aa. ℥℞.  
 Syr. de fumar. S. ℥℞.

M. S. Schwcis tränklein auf einmahl.

§. 22. Quandoquidem sufficienter ea, quæ ad curam specialem spectant tractasse me mihi videtur, generalis quoque curæ paucis verbis mentionem faciam. Salivationem maxima pars medicorum lue græa & similibus huic adfini morbis correptis, scorbuticis, scabie scæda malignaque laborantibus felicissimo cum successu tanquam ultimum medendi refugium administrant ac commendant, cum antehac morbus nullo pacto aliis etiam adhibitis remediis extirpari poterat. Exemplo sit nobis Vir quidam 36. annor. ad Nosocomium Bremense præterito anno accedens ab initio capitis sentiens dolores simulque artuum lassitudines, varia in Holsatia assumfit remedia, at nullo cum successu, postea scabie maligna laborare cœpit, à quo tempore varia quoque tum interne assumenda, tum externe inungenda à Clarissimo D. Doctore à cappelen erant ordinata, aliquo quidem sed non integro cum effectu, multis porro adhibitis squamæ semel decidere, ut convalescere visas fuerit, mens. jan. hujus anni rediens, conquerebatur de materia quadam serosa ex auribus ejus exsudante, aderant insuper hinc inde in facie ulcuscula varia tandem ab usu quotidiano decoct. lign. vel alius decocti sudorem cientis, una cum adhibita salivatione (mediate qua post ulteriorem usum cruorem per inferiora & sputum per superiora ejecit) omnia symptomata evanere & felicissime curatus Nosocomio valedixit,

§. 23. Ex his dictis itaque liquet salivationem etiam in abstrusissimis affectibus locum habere, sed ut ingenue fatear in leprosis etiamsi adhiberetur Turpeth. mineral. vel simile salivationem cientis græiale aut parum, credo, aut nullum inde

emolumentum levamenque illis adventurum, quod etiam experta Ægra nostra, quæ aliquoties Turpeth. miner. salivandi causa sed per quasdam septimanas in eodem fere manebat statu, licet postea externè in cute aliquod senserit levamen, pustularumque maxima pars evanuerit, ac nonnulli ungues è digitis delapsi fuerint (quorum maximus omnium etiam nunc mihi ad manus est,) substantiaque crustacea, & albicans circumvestierit digitos ac pedes, interim tamen mediante salivatione prorsus non restituta fuit.

§. 24. Nam Scyrialia, ( quantumvis ad ea in maximis quibusque morbis, tanquam ad unicam salutis anchoram confugere plerumque soleant medici, herculeam quippe openi non sibi sponderunt; sed & illis perfanandis præsto frequentissime fuere) nostræ ægræ quin & similibus lepra infectis nihil emolumenti hanc ob rationem asferre potuerunt. Quia corpora fluenta qua quantitate, qua qualitate, quatenus ad lepram spectant, rite se habent. Nullo reperiuntur infecta acido, præcipue fluentis inimicante hoste, nedum alius generis principio mordicante Scyrio acrium nempe, domitori alias perlibenter obtemperaturo, viscera primaria, nec canaliculi quidem aliquantam obstructionem sui passi sunt; sed vitium prout dixi, ipsis glandulis subcutaneis nimis patefactis inhæret, ergo non mirum si plus damni quam commodi attulerunt, quod & eorum abusu non semel D. Willisus expertus, cum fatetur, se salivationem in 4. personis impetigine graviore seu lepra laborantibus absque ullo commodo expertum fuisse quanquam omnes evanuerint pustulæ, impetiginisque ne vestigia quidem relicta visa fuerint nihilominus tamen protractu temporis illum ad solitam redisse maturitatem, sando pergit, nec etiam recidivæ reiteratam salivationem auscultasse, quare concludit lues græca etsi summe malignam, atque ulcera fæditissima & cacoethæ carnes & ossa depascentia excitantem, multo facilius ac certius impetigine seu lepræ curam admittere. Quamobrem autem lues græca facilius possit sanari, ipsemet B. L. inter ejus scripta in tractatu de cutis affectibus, sub Titulo impetiginis seu lepræ Græcor. legere poterit.

At

At ego hanc in pectore fovi sententiam quare frustraneo instituta fuit. Scilicet in salivatione, quam s̄rialia crebriuscule seu sumpta ut plurimum ciere solent, humores stagnantes viscidique, cum primum liquidiores facti, enervato  $\ominus$  lino, cætera principia ligante, ad ductus salivales per os excreturi deducuntur. Singuli canaliculi glandulæque, ad quas istiusmodi humores, una cum globulis s̄rii arctissima quæque vascula dilatantibus vehuntur, solitis patentiores fiunt, quocirca non modo materia morbifica eliminatur, verum etiam obstructions quævis referantur. s̄riale igitur hoc pacto, quum morbo cuidam singulari prælidio fuit, pensum suum absolvit, verum enim vero tamen, finita salivatione cuiuspiam videretur rem melius se cum Lepra Græc. infectis habiturum, quoniam squamæ decidunt, ac cutis ad redintegrationem sui aliquantulum accelerat; phænomenon tamen hocce nihil certi pronunciat, & inde oriri, mea nimirum opinione rectius autumo, quod dum à s̄rialibus fluentia in peripheria corporis oberrantia nimis moveantur & tunc plurimæ humidæ particulæ glandulas miliares transfudent, squamas humectent, ac paulatim, quum plures à tergo sequuntur; protrudant eas, quare decidant opus est. Veruntamen quum ita morbi causa haud ablata fieri itaque aliter non potest, quam ut tales ægri peracto ptyalismo in recidivam incidant, priori morbo pejorem ac foediorum, quin partim globuli s̄riales: partim humores; utriusque autem, vi vascula dilatandi præditi, glandulas laxiores, quam antehac erant, reddiderunt, perinde plus humoris in squamas abitura suscipiunt sese exsudentque.

§. 25. Retulit mihi Helvetius nonnullos quandoque ad se accessisse & ab se adversus hunc morbum præsidia petiisse conquerentes insimul quòd varia à quibusdam medicis alias satis peritis sibi essent administrata, inter alia & salivatio, singula tamen frustraneo cum successu, tandem narrando perrexit se intra perpaucas septimanas paucissimis rebus affectum hunc quam optime curasse, quare unam atque alteram tanquam singulare secretum mihi sæpiuscule instanti aperuit non ut mihi quoque sit arcanum, huic curandi methodum abscondere no-

bi sed eam huic dissertationi infigere volui, ut dante occasione evadat in bonum salutemque omnium tali morbo afflictorum. Sed ad rem, praelaudatus vertit se ab initio curationis ad evacuantia preparantia acidumque imbibentia. De quibus in antecedentibus prolixè tractavi, postea ꝑr. ꝑnii gr. iij. singulis horis matutinis præscribit.

Pro potu ordinario hocce ægrotantibus suis appropinquat decoctum.

℞. Rad. lapath. acut. ℥iv.  
En. crud. ℥ij.

Quibus propter lapath. amaritudinem addi curat.

Rad. liquirit. ℥j.

Incis. & contus. coquantur in mens. iij. l. in præter propter colatura inferviat pro potu ordinario.

Externe liquore picis corpus ut inungatur jubet, (qui liquor glandulas subcutaneas quodammodo constringit, quare tantam humorum molem suscipere nequeunt, quibus adfluxum in glandulas denegatis sponte sua post paulo furfures sive squamas cuti adhærentes delabuntur, sicque eadem naturali rursus potitur forma, quum non plures humores glandulis foras exsudent quam qui ad sustentationem, nutritionemque cutis necessarij sunt.) quibus omnibus ægrotantes quosdam absque ullo additamento aliorum remediorum feliciter curasse te sancte mihi asserit, de eodem liquore picis mihi notum fecit Medicus heic locorum in praxi haud mediocriter versatus scilicet isto liquore cujusdam caput tinea l. crusta maligna in totum obductum perbene sanasse.

§. 26. Priusquam colophonem dissertatiunculæ huic imponam verba quædam de floribus suppressis pro meo modulo faciendâ sunt, nempe, qui suppressi denuo revocandi sint ac singulis mensibus debito fluant. Igitur attendendum. I. ad primarum viarum digestionem, II. sanguinem acido-viscidum  
segnius.

fegnius effervescentem, ac tardius circulantem, III. ad vasa uterina obstructa & infarcta humore viscido. Antequam V.S. instituitur exhibenda sunt resolventia humoremque attenuantia, suntque Olia digesta, vomitoria, stomachica, quibus primarum viarum cruditates corriguntur, digestioque promovetur, inter digestiva sequens pulvis, est recensendus.

R. *Limatur.* ℥. ℞.  
*Ocul.* ℥. ℞j.  
*Ol. absynth.*  
*Tart. Olat.* aa. gr. v.

M. Huic pulveri gr. ij. vel iij. ass. foetid. addi possunt nisi patiens fastidiat.

Vomitoria sunt Va. Benedict. R. ad ℥ij. vel iij. aut ♀. Emetic. ad gr. iij. vel iv. ad vj.

*Egregium stomachicum est hacce seq. Tinct.*

R. *Cinnamom.* ℥ij.  
*Cort. aurant.*  
*Cubeb.*  
*Cardamon.* aa. ℥j.  
*Galang. min.*  
*Rad. calam. arom.*  
*helen.* aa. ℥℞.  
*Macer.*  
*Croc. orient.* aa. ℥ij.

Incis. & contus. affundantur ℞. vin. ℥iij. sumatur inde bis de die vel ter haustus largior. Huic morbo insuper medentur omnia aperitiva, Stialia, omniaque quæ Ole volatilij aromatico abundant, quibus associanda sunt absorbentia quæcunque, aperitivis enim obstructiones tam uteri quam reliquorum viscerum referantur: A Olibus volatiliioribus aromaticis & hisque tota M. S. vigorem acquirit, ad motum aptior redditur: (cum ejus particulæ ab aromaticis hisce lubriciores fiunt.) ac eo ma-

gis ad effervescendum disponitur. Absorbentia sunt corallia, ocul.  $\overline{\text{c}}$ .  $\overline{\text{d}}$ . diaphoret. simpl. & stiatum quæ cum reliquis aciditatem in sanguine imbibunt, ac emendant, ea ratione ut fit in extravasato grumoso sanguine à casu vel ictu per medicamenta absorbentia jùm dicta, quibus grumi sanguinis solvuntur, dum prius acidum in illo contentum absorbent, compages temporanea dissolvitur, & per legem circulationis sanguinis in M. S. reducitur. Profunt etiam catameniorum laborantibus impedito fluxu omnia medicamenta ex helleboro, Rad. hellebor. infus. Extr. hier. cum agaric. Extr. colocynth. vin. malvat. Stiale Hartmanno,  $\nabla$  & syrup. arthemif. compos. Extr. ad mens. ciend. Claret. chalybeat. Ess. splen. bov. mellif. arthemif. sabina, croc. castor. pilul. de sabina Mynf. Spec. dialaur. ejusdem Trochisc. de myrrh. ejusd. Tinct.  $\hat{\text{c}}$ . Borrax, summitat. marrubii alb. in vin. alb. infus. laudat Borellus. cont. 3. observ. 14.

Notandum tamen quod in hoc affectu & omnibus aliis obstructionibus medicamenta in forma liquida exhibita feliciter operentur, præcipue infusa, vina medicata mira præstant. v. gr.

℞. Spec. aperitiv. hyster. M.  $\overline{\text{z}}$ ij.  
 Limatur. Stis ppt.  
 Rad. asar.  
 Baccar. juniper.  
 Agaric. alb. aa.  $\overline{\text{z}}$ j.  
 Herb. marrub. alb.  
 Sem. anif.  
 Z. Z. aa.  $\overline{\text{z}}$ ij.  
 Oli.  $\hat{\text{c}}$ .  $\overline{\text{z}}$ ss.

Incis. & Contus. infund. in Mens. ij. vin. veter. alb. stent per noctem in loco calido, tunc sumat patiens M. vel V. haustum.

Cui vero magis arrident medicamenta in forma sicca, ut sunt pilulæ, in usum ducat sequentes.

℞. Dia-



℞. *Diaphoret. Itial.* ℥j.  
*Flor. sal. armon. cum L. hematid.*  
*Fecul. bryon. aa.* ℥ij.  
*Extr. castor. gr.* iv.  
*Ol. Cinnamom. gtt.* iv.  
*Ess. artemis. q. s.*

M. F. l. a. pilul. No. ccxc, conspergantur pulvere Cinnamom. de quibus M. ac V. fumantur in ∇. meliff.

Sunt præterea qui pulverem cachecticum Quercet. aut aliquando usurpant.

Complures solum chalybem ꝑre ppt. ad ℥j. pro dosi aliquoties assument.

Nonnullis menstrua iterum prorumpunt si vena mallcoli secetur.

Fortissimum omnium est oleum. *ſ.* fabin. in hoc affectu, verum suspectis non dandum; quia facillime abortum facit.

§. 27. Ultimum denique est, quod velim ut B. L. hæcce æqui bonique consulat, & cum tempus plura ut annectam non suppeditavit paucissimis hisce acquiescat, plura autem si desiderat inspiciat Librum à Celeberrimo Willifio editum, vel ob defectum hujus Chyrurgiam Excellentif. D. Munnicks, Med. Doct. Chyrurg. Anatom. ac Botan. Professoris, Præceptorisq; mei fidelissimi.

§. 28. Heic nunc subsisto, nullus dubitans quin adhibitis hisce suo tempore, (simul exactissima est consideranda diæta) cum puella nostra, ut & cæteris in futurum hocce morbo afflictis optimum succedat in finem. Faxit D. T. O. Max. qui omnium rerum initium est ac finis, ut omnia suscepta in S. S. sui Numinis gloriam, ægrotantium salutem, emolumentumque vergant.

## C O R O L L A R I A.

1.

*Urinam omnium morborum signa præbere posse, nego.*

2.

*Hematites dum vola manus continetur, non cohibet hamorrhagiam narium.* *Non*

Non datur panacea.

4.

Ossa pubis tempore partus non dehiscunt.

5.

Fatum non per os, sed tantum per umbilicum nutriri, statuo.

6.

Neque illum in utero respirare, dico.

7.

Purgare aut V. S. instituere si quis voluerit vera & antumno secundum Hippocr. Aphorism. 47. sect. VI. instituat.

8.

At purgatio vena sectioni premittenda est.

9.

Notitiam habere in Chyrurgicis, rebusque pharmaceuticis Medico futuro summe necessarium est.

10.

In omnibus moderata durant.

11.

China China in febribus interdum magis nocet quam prodest.

12.

Dentes quod indies crescant, assero.

13.

Transfusio sanguinis parvum aut nullum in medicina habet locum.

14.

Infusio tabaci per venam cruralem injecta convulsiones creat, quibus statim mors imminet.

15.

Earundem virium est Extr. nuc. vomic. ore si assumitur.

16.

Oleum tabaci egregium est anti-vulnerarium.

17.

Fumigatio tabaci non est negligenda nec refutanda.

18.

Dantur vasa lactea in intestinis crassis.

F I N I S.

*Errata Typographica.*

In procemio lin. 15. trepitabant, l. *trepidabant*. Pag. 8. lin. 7. latitantas, l. *latitantes*. lin. 10. abscondite, l. *abscondita*. lin. 17. stimulabat, l. *stimulat*. Pag. 10. lin. 2. adriactici, l. *adriatici*. lin. 25. copiosis, l. *aquosis*. Pag. 11. lin. 27. digitis, l. *digitorum unguibus*. Pag. 18. lin. 3. adde post causam, *usurpavit*. lin. 16. corpora, l. *corporis*. lin. 18. præcipue, l. *præcipuo*. lin. 19. acrium, l. *acidorum*. Pag. 19. lin. 3. dele *sen*. lin. 13. habiturum, l. *habituram*. lin. 16. rectius, l. *fretus*. lin. 23. quin, l. *quia*. lin. 26. perinde, l. *proinde*. lin. 36. huic, l. *hanc*. Pag. 20. lin. 13. l. in, leg. l. *iv*. lin. 24. ac, l. *ut*. Pag. 21. l. 4. digesta, l. *digestiva*. Pag. 22. l. 9. laborantibus impedito fluxu, l. *fluxu impedito laborantibus*. Pag. 23. lin. 8. post M. ac V. l. *X. vel, XV*. lin. 9. dele *ant*. In Corollario 2. vola, l. *vole*.